



1798



1.



o

n

2. \*

M

95

2

D

3. \*

Ma

O

2

4. \*

Lit

R

de

an

de

5. \*

T

es



12241.

Pa:

N<sup>o</sup> 27

1798,7

Q V A E D A M  
D E  
C O N I V N C T I O N E  
I N T E R P A R E N T E S E T L I B E R O S

A D

N O R M A M P R A E C E P T O R V M I V R I S N A T V R A L I S  
D E F I N I E N D A

---

S C R I P S I T

E T

A M P L I S S I M I P H I L O S O P H O R V M O R D I N I S  
A V C T O R I T A T E

A. D. XIII. IVNII CICCI

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

P A V L L V S C H R I S T O P H. A E N O T H E V S A N D R E A E

L I P S I E N S I S

P H I L O S. D O C T. A A. L L. M A G. I V R. V T R. B A C C.

S O C I O

C A R O L O C H R I S T I A N O G A R B E


L V B E N A L V S A T O.

---

L I P S I A E

I M P R E S S I T C A R O L V S T A V C H N I T Z.





V I R O

CLARISSIMO DOCTISSIMO

M. CHRISTIANO ADOLPHO TOPFIO

LITERARVM IN SCHOLA THOMANA DOCTORI

AVVNCVLO ET PRAECEPTORI

S V M M A    P I E T A T E    C O L E N D O

D.    D.    D.

A N D R E A E.



ALIO

CIVILISATION DOCUMENTATION

M. CHRISTIANO VIGORITO TOTTI

PIETRA MURA IN SODA A CALORIFERI

ANNUAL ET PUBLICATION

ANNUAL ET PUBLICATION  
DE LA SOCIETE D'AGRICULTURE  
DE LA VILLE DE PARIS  
PUBLIQUE PAR LE SECRÉTAIRE  
DU COMITÉ DES TRAVAUX POUR  
LA CONSTRUCTION DE LA  
PIÈCE DE PIETRA MURA  
DANS LA SALLE DE CHAMBERY  
DU QUAI DE JOURDAN  
LE 25 FÉVRIER 1831  
PAR  
M. L'ÉDITEUR



15  
et illis nulla curia duplum in omnibus enim  
polo etiam periret omnisque pars illius in omnibus  
etiam in omnibus. Quod si ergo non est  
ad alios librum sicut ex his quo amicis  
; flo pugnatio pro

16. Ad hanc ergo quidam ab aliis. — M. tingit. A.

(Q. 127. 2. 27) (A. 127. 2. 27)

**C**aput loci, quem tractare conabar, est quaestio, utrum  
parentes officio perfecto adstricti liberos alant et edificant,  
nec ne. Periculum feci huic quaestioni satisfaciendi, et  
tantum abest, ut hunc finem consecutus esse mihi videar,  
ut potius non sine causa verear, ne multa supersint,  
quae maiorem diligentiam, quam quae pro virium  
mearum exiguitate adhiberi potuit, requirere videantur.  
Quum Kantio Fichtioque duce in hoc loco tractando  
vsus essem, necesse esse credidi, ut eorum sententias meae  
qualicumque scriptiori praemitterem, ita, ut hic libellus

duabus absoluueretur particulis, quarum altera Kantii et Fichtii de illa quaestione sententias contineret, altera obseruationes meas complecteretur. Ceterum in laudandis virorum, quos dixi, libris compendii caussa sigla adhibui, quorum significatio haec est:

K. designat *Metaphysische Anfangsgründe der Rechtslehre von Immanuel Kant.* (Königsberg 1797. 8.)

F. — *Grundlage des Naturrechts nach Prinzipien der Wissenschaftslehre von Gottlieb Fichte.* 2. Theil. (Jena. 1797. 8.)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-132105632-14  
DFG

III. 2. *De iure personarum et rei alienae*

§. I.

Si illud factum, quod ea lege nititur, qua arbitrio tuo alienum non tollatur, iuste factum adpellaueris, a) recte dubitaueris, an ius personale, vbi possessionem arbitrii alterius, i. e. potestatem alienum arbitrium secundum legem libertatis, tuo subiiciendi intelligas, originarium et arbitrarium esse possit, b) nam, si possit, alterius libertatem laedi, legi vero repugnari res ipsa loquitur. Itaque, si illud in alterum ius consequi velimus, ius alterius in nos transferri debet, ut nostrum cum eius arbitrio conueniat, cui conuentioni pacto nomen est, et qua conventione iuris personalis ratio nititur.

§. II.

Iam vero est quoddam ius personale, quod, quum ex eo personam aliquam, vt rem, possideas, licet ea duntaxat tamquam persona vti debeas, illi legi aduersari videatur. Kantius igitur huic singulari iuris speciei, ex reali et personali compositae, iuris ab hoc et illo aequo diuersi locum relinquit, ius realiter personale (*dinglich persönliches*, auf dingliche Art persönliches Recht. c) vocat, eiusque materiam, statum alterius, quatenus ius de eo disponendi (commercium eius) adquiramus, formam vero, possessionem alterius tamquam rei, ea conditionis lege, vt eo non vt re sed vt persona vtamur esse, statuit d). Huic vero iuri ab reali ac personali aequo alieno locum esse, ex confessio erit, si de eius obiecto amplius dixerimus.

a) K. xxxiii.

c) K. 79. 105.

b) K. p. 97.

d) K. 97.

## §. III.

Itaque obiectum huius iuris est persona, quae velut res possideri quidem soleat, qua vero ob eius libertatem personalem (*Persönlichkeit*) numquam, velut re, vti debeamus. Etsi vero, quum usus et possessio hic sibi ipsi repugnare videantur, verendum est, ne quis hanc notionem sibi parum constare arbitretur, haec tamen contradictio facile tollitur, si illud ex personae sicut rei possessione ortum ius in eo positum esse certas, vt quiuis extraneus ita excludatur et remoueat, vt is, ad quem ille, qui nostrae potestati subest, inobis inuitis transierit, hunc transfugam remittere debeat; aut, vt uno verbo dicam, vt nobis hanc ex illo iure in nostra potestate constitutam personam vindicandi ius sit. e)

## §. IV.

Meum vero et tuum (i. e. id, cuius usum si quis turbaret etiam tunc me laederet, quum illud adhuc non amplius manu tenerem f), quod ex hoc iure oritur, domesticum est, et relatio iuris realiter personalis, est relatio communionis hominum, qui pro mutua, secundum legem libertatis externae, alterius in alterum vi societatem constituunt eam, quae domestica dicitur g). Hunc autem statum neque sola adprehensione, ius reale: neque solo pacto, ius personale constituentibus, sed legis permissione adquiri, et ex eo iure, quum non solum ius in personam sed possessionem eius simul complectatur, et omne ius personale superet, nec non nostrae ipsorum humanitatis ius sit, legem permissum, cuius favore hic adquirendi modus obtinere possit, oriri Kantius censet b). Illa lex permissiva esse videtur ea, per quam te ab altero tamquam rem adquiri

e) K. 115, 118.

f) K. 61.

g) K. 105.

b) K. 106.

ita liceat, ut alterum eodem modo adquiras, et sic libertatem personalem tuam restituas <sup>i).</sup>

### §. V.

Probauiimus igitur iuri realiter personali locum esse, et quae illius forma esset atque materies significauimus. Obtinet vero hoc ius in re familiarie seu domestica, et secundum huius naturam in tres species <sup>k)</sup> diuiditur, nimirum in ius coniugale, parentum, et herile, quarum specierum eam tractare conabor, que ad parentes et liberos pertinet.

### §. VI.

Argumenta, quae ad adsignandum, iuri realiter personali in genere locum adulii, spero, etiam in hac specie multum factura esse ad demonstrandam iuris illius naturam. Homines vtriusque sexus illo iure coniuncti <sup>l)</sup> generatione adquirunt liberos, quos rerum instar possident, quum parentes eos e potestate se inuitis egressos, sine praeuia hortatione ad liberorum cum parentibus permanendi officio repetita, ut redeant cogere possint <sup>m).</sup> Itaque parentes, quum liberis tamquam rebus vti prohibeantur, tamen eos velut res possident, nam si eorum ut rerum, usus parentibus daretur, facile his illorum alienatio licita esset, libertate prolis personali vehementer repugnatura.

### §. VII.

#### Illo iure

i. Parentibus iniungitur officium liberos alendi et curandi. Natura enim liberis tamquam personis ius, ut a parentibus, donec sibi ipsi

<sup>i)</sup> K. 108.

<sup>l)</sup> K. 111. Coniuges illo iure sibi

<sup>k)</sup> K. 106.

inuicem iungi sumo iam probatum esse.

<sup>m)</sup> K. 115.

prospicere possint, alantur, ingenuit, et quidem sola lege; sine actu, quo illud ius constitueretur <sup>n)</sup>). Vnde autem origo illius iuris repetenda sit, ea, quae sequuntur docebunt. Genita est persona, i. e. animans libertate praeditum, at, quum, quomodo actu naturali persona procreari possit intelligi nequeat, necessario et recte habenda est generatio pro causa, qua parentes personam sine eius consensu, sua iporum auctoritate, in statum nouum traduxerint, et qua propter eam proximis viribus suis statu novo contentam reddere debeant. Itaque parentes, liberos tamquam res fabricatas et in suo dominio constitutas extingui aut casui credere prohibiti sunt, quoniam liberorum status etiam iuris ratione (quippe qui est cosmopolitarum status) iis valde cordi esse debet. (v. infra §. XXXIX.)

#### §. VIII.

2. Ex illo parentum officio iis nascitur ius sibi liberorum tractationem, quandiu hi nec membris nec rationi vti possint, praeter nutritum educationemque quum pragmaticam, (vt aliquando liberi se ipsi sustentent, sibique proficiant,) tum moralem, (ne negligentia in liberis commissa illis criminis detur,) vindicandi. Haec vero omnia parentibus usque ad emancipationem competunt, qua ii omni in liberos imperio, et cuicunque sumtuum, in educationem factorum repetitioni renunciare, omnemque inde oriundam obligationem liberorum in grato animo positam ideoque imperfectam esse iudicare videntur <sup>o)</sup>).

#### §. IX.

Iam vero ius realiter personale in iuris doctrina ad ius personale ac reale adiungendum, eamque, quae olim obtinuit, iuris descriptionem,

<sup>n)</sup> K. III. sqq.

<sup>o)</sup> K. II. 4.

imperfectam esse inde adparet, quod, si de illo parentum iure in liberos, tamquam familiae membra dicatur, parentes eos, ut quadrupedes fugi-  
vas in potestatem redigere possint p) De Kantio hactenus.

## §. X.

Fichtius, quum illam, quae inter parentes liberosque obtinet, coniunctionem non ex sola iuris ratione sed ex rei natura morumque doctrina diiudicandam esse censuit, ut rem, cui iuris notio applicanda esset, constitueret, ad principia ipsa iuris notione longe remotiora regressu sibi visus est opus habere, quoniam eos, qui illam coniunctio-  
nem mere iuridicam iudicassent eo esse redactos, ut liberos in dominio parentum constitutos putarent, ideoque valde errasse arbitrabatur q)

## §. XI.

Naturalis coniunctio, quae matrem, hominem, inter eiusque prolem intercedit, et quae sic a sola naturae opera, quam in animalibus reperimus, distinguitur, ut mater suam salutem cum foetus salute arctissime esse coniunctam non ignoret, instinctui originem dedit, qui ex organica inter matrem et prolem coniunctione r) ortus, sub specie misericordiae in matre homine adparet s), quae misericordia ad curam alendi partus spectat, ratione illam adiuuante. Nam si ratio illam misericordiam non adiuuaret, instinctus esset, et mater homo non, si vellet, ab ea recedere posset, sed ut animal necessitate naturali numquam eui-  
tanda teneretur. x)

p) K. 115.

q) F. 227.

r) Haec coniunctio adhuc post edi-  
tionem partus obtinet, quum primariainfantis nutrimenta (lac maternum) in  
corpore matris parantur.

s) F. 228. fqq.

t) F. 230.

(Illi⁹, quem dixi, instinctus conscientia causam praebet, cur ad officia matris illius instinctus conseruatio referenda sit.)

§. XII.

Quisque hominum ideoque et vir iam natura duce libenter inopi et imbecillo succurrit. Hoc studium inopes adiuuandi omnibus vnum etiam patrem ad prolis amorem addicet, sed, quum cuiusque, qui alterius inopia commouetur, proprium sit, eoque studio omnibus infantibus prospectum iri videatur, vereor, ut singulare patris erga prolem studium illo omnibus communis acrius esse argumentis satis idoneis probari possit. Nam relatio quum physica sit, argumentum eiusmodi esse debet, quod vero, quia nulla patrem inter et filium naturalis est coniunctio, frustra quaeres. Itaque patrem singulari in problem amore non adisci recte iudicabis, quum e coitu, cuius, tamquam certi individui procreationis, conscius pater esse nequeat, nihil eiusmodi colligere possis. v)

§. XIII.

Patris igitur erga prolem amor nasci videtur ex amore erga coniugem, quo impulsus pater vna cum matre alendae prolis curam gerit, ita tamen, ut quamvis necessario pater curare videatur, matri ius nullum sit patrem cogendi, ut partum alat: nam editio partus non patrem sed matrem adtingit. Quodsi vero hanc in illum ius habere arbitrareris, inter vtrumque parentum conuentum esse, et huic conuentioni fidem a ciuitate interpositam adcessisse, oporteret, alias enim nullum ius quae-  
fatum coram iudice persequendum, sed mera obligatio imperfecta esset. Haec vero nulla peculiari indiget conuentione, quum matrimonium illam conuentiōnēm complectatur.

(Argumentis, quibus matris ius patrem cogendi, ut partum alat, probari soleat, non sibi satisficeri contendit Fichtius. Matri enim, a patre, ut proli prospiciat, potenti, hic iuste opponet: illi non sibi natam esse prolem, ideoque illam, non se, pati debere ea, quae natura operante sequuta sint.) <sup>a)</sup>

#### §. XIII.

Parentes coniunctim degentes prolem secum habere necesse est, et quum rationis usum in aliis animantibus suspicari, eaque, quasi ratione fruerentur, tractare natura quemque iusserit, parentes eodem modo liberos habebunt, liberamque ex iis efficientiam elicient, ut rationis usus et libertati via muniatur, quum sine ea salua esse proles nullo modo possit. <sup>y)</sup> At vero quia libertatis abusus liberis detimento est, parentes illam moderabuntur, ne liberis noceat, in qua libertatis moderatione educationis fundamenta iacta sunt. Itaque amore moti parentes educationem suscipiunt, nullo liberorum iure coacti, nulla obligatione perfecta adstricti. Ceterum prolem, quae, quum libera sit, moribus imbuvi potest, a parentibus diligentissime morbum rationem doctum iri addi non est necesse. Haec vero in moribus institutio sublimiorem constituit educationis partem. <sup>z)</sup>

#### §. XV.

Educatio iam complectitur duas partes, alteram, qua indoles liberorum eorumque vires exercentur et corroborantur, ut iis ad consequendos varios fines vuantur liberi, alteram, qua in liberorum animis virtutis amor excitatur.] At neque liberi iure a parentibus educationem postulant, neque a parentibus se educari necessario patiuntur, quum

<sup>x)</sup> F. 232.

<sup>z)</sup> F. 234.

<sup>y)</sup> F. 233.

parentes neque officio liberis per educationem praestando adstringantur, neque ius in liberos, ut hi se ab illis institui patientur, habeant. Nam proles, dum educatur, nullo modo libera, ideoque nec iuris alicuius nec officii subiectum est, sed educationis respectu niterum est obiectum actionis parentum, et, quid ii velint, est atque erit. De fine educationis iudicium est penes parentes, qui diligentissime res, quibus ad illum finem obtainendum opus sit, dignoscentes, ratione liberorum iudices in causa sua sunt, Nemini subiecti, liberis, quatenus eos educant, sine exceptione imperant, et ut hoc imperio, ad prolem pro sua ipsorum scientia optime educandam, tantum, ab suo ipsorum imperio pendet. <sup>a)</sup>

*De obiectu liberis.* §. XVI.  
Ciuium multitudo fere aequalis, ad cuius rationem vectigalia, tutela et vires ciuitatis definiuntur, ciuitati praesidio est firmissimo. Itaque, ne illa ciuium multitudine in dies per mortem imminuta ipsa ciuitas penitus intereat, necesse est in locum mortuorum ciuium alios substitui. Quum vero ciuium quisque, omnibus quibus ciuitas sustinatur conditionibus se esse satissimum pacto ciuili promittat, etiam huic conditioni ab se obtemperatum iri polliceatur, idque diligenti liberorum cura perficiat: ius est, ciuitatem educationi in conditionibus pacto ciuili adiectis locum dare, vnde educatio officii perfecti non proli, se ciuitati praestandi formam induit. Ciuitas igitur optimo iure educationem liberorum a ciuibus fieri iubet. Ne vero, si cuique, quem velit, educare liceat, ciues inter se concurrant, ciuitas naturae et rationi subsequens imperat, ut suos quisque ciuium liberos educet. Sed haec omnia, quae monui, facile applicabis, si de natu e matrimonio iusto, quae fueris. At natorum extra matrimonium cura matris est, cui a natura

a) F. 235.

mandata videtur, sed pater pro officio ciuili fibi iniuncto matri in liberis alendis succurrere sumtusque educationis suppeditare debet. b)

§. XVII.

Infanticidium a matre commissum vehementer naturae repugnare turpissimumque factis adcsendum esse nemo dubitat, sed iuri infantis perfecto obstat non videtur, quum infans nullo erga matrem iure frui possit. Est quidem delictum contraria ciuitatem, cuius lege liberorum conservatio et educatio sancta est, poenamque mater, quae illud commisit, luere debet: attamen, quum feri et rudis animi ostendat indicia, infanticidium in iis delictis numerandum esse videtur, quorum auctorem emendandi periculum ciuitas faciat. c)

§. XVIII.

Ciuitas liberorum vitam, educationem, et cum hominibus consuetudinem, sine quibus nec homines nec ciues esse possint, inspectione tuetur suprema, quam ex pacto ciuili habet. Inde ciuitas officio educationis parentibus iniuncto necessario omnia removet, quae educationi impedimento esse possint, quum parentibus ratione aliorum ciuium ius educationis liberorum ab ipsis procreatorum ita tribuit, ut omnibus aliis educatione illa interdicat, et lite exorta veris parentibus suffragetur. d)

§. XVIII.

Educationis norma parentum conscientiae credita est, qui probis esse moribus putandi sunt. Ciuitas igitur illam non curat, et quamvis scholas publicas condat, tamen parentes ut liberos in iis institui current neutiquam cogere potest. De educationis rationibus (*Maximen der Er-*

b) F. 236 sq.

d) F. 239.

c) F. 238.

*ziehung) neque ciuitas, neque alii ciues, neque liberi parentibus, sed hi sibimet ipsis imperant, et, quum inter parentes et liberos nulla de hac re lis oriri queat, parentum potestas in proponendis educationis rationibus plane libera est. e)*

§. XX.

*Itaque natura educationem parentibus mandauit, ciuitas imperavit. Iam haec, cui est suprema de educanda prole notio nullum admittere potest usum, quo educationi officiatur, quam ob rem parentes prohibet, ne liberos in dominio habeant, eosque e. c. vendant; aut alio quocumque modo velut res tractent. f)*

§. XXI.

*Coram iudice conueniri potest tantummodo is, qui liber est. Proles, dum educatur, libera esse nequit. Pater igitur, qui et matris vicarius in iudicio est, liberorum suorum tutoris munere fungitur coram iudice. Quum vero liberi non immediata ciuitatis membra sint, iura nulla habent, quae pater defendat: sed si extraneo damnum dederint, pater huic damnum a liberis datum sarcire debet, quippe quem, ut ne liberi sui damnum aliis darent, curare oportuerat. Poenas publicas luere liberi nequeunt quum iuribus ciuitatis externis non subiecti sint, sed solis parentibus, qui poena arbitraria eos coercent. g)*

§. XXII.

*Quando liberos educari non amplius necesse est, parentum potestas finitur. Educatio vero et vna cum ea patria potestas triplici modo delegatur. Primum parentes ipsis, si liberos educatione non amplius indigere*

e) F. 240.

f) F. 231.

g) F. 241. sq.

iudicauerint; eos emancipare solent, quibus iam secundum regulas educationis cuique cognitas pro rationis vsu sensim aucto indies conseruent libertatem ampliorem. Deinde ad finem educationis, ut liborum vires utiles sint negotiis prudenter gerundis, peruentum esse res ipsa loquitur; si liberi a ciuitate, cuius de hac re iudicium maximi faciendum est a parentibus, digni iudicati sint, qui muneribus publicis fungerentur, aliisque ciuium iuribus ornarentur: ex quo non solum ciuitatem de educatione perfecta iudicium fecisse, sed etiam liberos continuo e patria potestate exiisse patet. Educatione denique et cum ea simul patria potestas tum sublata esse censetur, quum pro rei natura amplius obtinere nequit. Hoc accedit, quum liberi matrimonium ineant. Quum igitur matrimonio ab liberis inito educatio tollatur, hanc vero finiendam soli parentes decernant, si suam matrimonii ab liberis ineundi adprobacionem, in aliquod tempus differre iuste possunt. (At liberi neque plane prohiberi, quominus matrimonium ineant, neque ut ineant cogi a parentibus possunt, coactus enim et prohibitio matrimonii naturae valde repugnant.)

### S. XXIII.

Liberi neque condonini eorum sunt, quae parentes possident, neque vilam rem tamquam suam habent. Alimenta iis quidem a parentibus pro horum arbitrio debentur, quum alias educationis finis non adtingatur, non vero ex officio erga liberos, sed ex officio erga ciuitatem quae supremam huius rei curam gerit. Itaque errare videntur, qui in falsa de re per formationem adquirenda opinione versantes, liberos rerum opera et laboribus suis partarum dominium adquirere contendunt. Nam laboribus exerceri vires constat, atque exercitium ad educationem peri-

net, cuius utilitatem; si quam casus adferat, sibi factam, resque eo partas sibi comparatas esse iuste parentes censem. Liberorum vero iniurias parentibus nulla est actio et inde nulla rei alicuius comparatio. Si liberorum dominium a pactione cum parentibus facta deduxeris, id, quod fieri nequeat, conatus fueris, quam is tantum pacisci possit, qui non alterius imperio obnoxius sit; liberis vero, parentum respectu nulla sit ullius rei potestas.

i) *de iure auditi minoris amplissimum*  
no*n* *admodum multo bel*. *libri* *§. 244.*

Sed ne ciuitate in lateat, unde ciues vietum sibi comparent, eorum quemque bona habere oportet. Itaque ciuitas parentes, ditem liberis, quos emancipant, dare recte iubet, quamvis quanta esse eos debeat, non ipsa definiat, sed hoc a parentibus definiri permittat. Quando igitur liberi nuptias facere voluerint, parentes utriusque coniugium inituri, interesse conueniant, utrum utriusque a alteri, et quantum dare velint. Non enim, unde noui coniuges bona adceperint, sed num habeant, unde vivant, ciuitatis interest cognitum habere. Ceterum parentibus integrum est, alicui liberorum lautiorem aut omnibus aequalem dotem facere. Quamquam enim hoc inique a parentibus factum videri potest, attamen quum liberis, qui omnia, quae possident, parentibus debent, fundamentum agendi contra parentes desit, ius liberorum perfectum eo laesum iri non placet. k)

ii) *de iure auditi minoris amplissimum*  
no*n* *admodum multo bel*. *libri* *§. 245.*

Quam omnia parentum iura eorum morte expirent, atque ius dominii eorum proprium simul tollatur: utrum successioni ab intestato in aequales partes locus esse queat, an parentibus testamenti factio concedenda sit ita, ut liberos exheredes facere possint, quanta sit legitima

i) F. 244.

k) F. 245.

definienda, aliisque hoc genus quaestionebus verendum est, ut a priori  
satisfieri queat: sed haec omnia legibus scriptis definienda esse videntur.

## §. XXVI.

Restat, ut cui ex parentibus diuortio disiunctis cura liberorum de-  
mandanda esse videatur paucis dicatur. Si coniuges diuortio separari  
cupientes, quibus de potestate in liberos transfigere licet, inter se de-  
liberis cominode alendis et educandis conuenerint, nulla erit lis, ideo-  
que nullum ciuitatis de hac re iudicium. At vero si illa transactio locum  
non habuerit, ciuitas decernet, et quidem litis motae videntur fore  
causae due; altera si neuter coniugum curam liberorum gerere, sed  
alter in alterum eam transferre cupiat, altera, si alter curam illam susci-  
pere alterumque ne vlo quidem modo educationis partem capere velit.  
Si illud adcederit, educatio quidem matri reliqua erit, quum cura pro-  
lis, in officiis matris primariis numeranda, in patre vero ab eius erga  
coniugem amore demum profecta; et cum eo simul casura esse videatur:  
sed pater tamquam ciuis ad sumitus in educationem faciendo partem  
conferre debet. Ciuitas summam definit pro facultatibus parentum,  
quam, quae ad educationem liberorum opus esse iudicauerit. Si autem  
alter parentum solus prolem curare voluerit, filiae matris, filia vero  
patris curae credendi erunt. Ceterum prolem adulterinam non a ma-  
rito iuincente sed ab eo, qui illam ab ad adultera suscepit, alendam  
esse facile intelligitur. m)

## §. XXVII.

Haec fuerunt, quae a Kantio Fichtioque hac de re proposita huc  
transcribi necesse esse duxi. Iam vero ad tractationem meam progre-

D F. 245. m) F. 246.

dior, et in ea huncce ordinem seruabo. Primum scrutari conabor, num rationes, quae inter parentes et liberos intercedunt, iuridiceae sint. Deinde quae parentum erga liberos et horum respectu erga quemuis alium iura, nec non, quae liberorum horumque respectu cuiusvis alias erga parentes officia sint, docebo. Porro, quae iura liberi eorumque respectu quiuis alias erga parentes habeant, et quae sint horum erga istos et illum officia proferam. Adcedet ad haec doctrina iurium, quae ciuitas in parentum et liberorum coniunctione habere videatur. Denique ea, quae si de natorum extra matrimonium, eorumque, quorum parentes diuortium fecerunt, cura quaestio sit, iusta esse videantur et hoc genus alia adiungam.

## §. XXVIII.

Quum in quaestione de rationibus, quae inter parentes et liberos intercedunt, discutienda semper ad libertatem personalem cuique hominum ingenitam respici debeat, non insitiaberis ad morum doctrinam, ut detegantur prima illarum rationum fundamenta, regrediendum esse nisi de illis iudicaturus opinionibus duci de malis, quae iuri humanitatis, quod quisque in se ipse reperiatur, valde obstante videntur. At non a sola morum doctrina, sed etiam a natura, qua operante parentes et liberi inuicem iunguntur, via munita est, vberius illas rationes disqurendi. Natura enim organicam, post partus editionem adhuc perdurantem, inter matrem et partum coniunctionem non modo in homine verum etiam in omnibus, quae in dolore organicam habent, reuelat; at, quae propria hominis est, huius coniunctionis scientia, et quae ei adnexa est, libera illius coniunctionis retentio abiectio, tamquam libertatis humanae actio, aditum parant ad morum doctrinam. Fichtium igitur vere iudicasse opinor, qui prima coniunctionis familiaris initia ita in-

oestiganda esse censeret, ut a naturali eius indole inciperetur. (v. supra  
§. X. sq.)

### §. XXIX.

Quamquam, quum pater cum prole non aequo arcto vinculo, ac mater, coniunctus sit, nulla inter patrem et prolem consociatio naturalis obtinere videtur (v. §. XII.): attamen, an ea de causa, quod pater generationis cuiusdam certi individui sibi conscius esse nequeat, plane nullam inter patrem et prolem coniunctionem naturalem reperiri confirmare possis adhuc dubito. In causa haec sunt. Maritus enim coitu, nisi impedimenta obstant, animans sui generis procreari non ignorat, deinde, si illum unicum fuisse, qui rem cum femina, quae partum edidit, habuisset, probatum fuerit, de prole ab se genita certus esse poterit; sed igitur auctorem vitae certe individui fuisse facile sibi persuadebit. Itaque pater cum liberis, quamvis secundum viri naturam eius cum prole coniunctio non per tantum temporis spatium, quantum in matre videamus, perduret, tamen natura consociatus esse videtur, quoniam ea societas actu naturali constituta est.

### §. XXX.

Matris quidem interest foetum in utero conseruare, quum ab huius salute illius salus dependeat, et exinde proficiscitur illa, quam vidimus (§. XI.), misericordia erga prolem. Itaque laxior est patris cum prole coniunctio, quam ea, qua mater et proles consociatae sunt. Sed, quum pater se vitae prolixi auctorem fuisse, illis, quas dixi, conditionibus propositis, ignorare nequeat, amor patris erga prolem non solum ab illa cuique hominum in primis virorum ingenita, et adspectu misericarum alterius incitata inopes adiuandi cupiditate, nec non a mariti erga conjugem amore, quo impulsus ille huius fines tamquam fibimet ipsi

propōstos consequi cupiat: imo vero ab illa, quam saepius commemorauit, conscientia maximam partem profectus esse videtur. In hac vero conscientia sola naturalis patrem inter et prolem coniunctionis fundamenta iacta, ideoque et hic, ut supra, quum de matre quaerebam, ad morum doctrinam transeundum esse intelligo.

§. XXXI.

Illa vero naturalis coniunctionis conscientia quam vtrique parentum esse vidimus, officii imperfecti primariam causam facit. Nam mater dum foetum in vtero conseruare studet, suae ipsius saluti studere videtur, et in eius voluntate est, an degener et cum suae ipsius vitae discriminis foetus vitam dirimere velit, nec ne, <sup>n)</sup> et vinculum, quod adhuc edito partu per aliquod tempus perdurat, denegato lacte materno rumpere matri aequi integrum est. Vtrumque vero officium matris erga prolem primitus imperfectum esse, quum in primis nullus iuri, quo illa officia exigantur, locus esse adhuc videatur, an satis confirmari possit vix dubitauerim. Officium vero patris ex argumentis iam inductis (§. XXIX.) aequi imperfectum est, cui ille pro lubitu satisfacere aut potest, aut non potest.

§. XXXII.

Iam si haec placuerint, vani erunt conatus, rationes, quae inter parentes liberosque intercedunt, primitus iuridicas esse demonstrandi, imo potius liberis nulla erga parentes iura concedenda, illosque horum arbitrio plane datos esse credi oportebit, quamvis sic libertatem personalem iis semper tribuendam laesum, eos vero iniuste tractatumiri non sine causa verearisi. Supra (§. XXIX.) quum argumenta adulteram,

---

<sup>n)</sup> Num abortus, quem refero, sit, non est, de quo hic quaeram. Voluntarius in criminibus numerandus

quibus patrem haud nescire se auctorem vitae liberorum esse comprobare conabar, naturalem inter patrem prolemque adesse coniunctionem demonstrare tentau. Pater vero, si matrem sibi matrimonio iuxterit, quin auctor vitae liberorum fuerit, haud dubitabit. Matrimonium igitur in causa est, cur patri officia erga prolem obeunda sint.

## §. XXXIII.

Si ex lege humanitatis pactum matrimoniale necessarium est, ne animante ratione praedito velut re vtaris o), sponte sequitur, illa ipsa lege parentibus, quum auctores proli humanae sint, officium perfectum iniunctum esse, vt liberos tamquam ratione praeditos tractent, et quae iis sunt iura humanitatis sancte seruent. Haec vero liberorum iura maximi fieri a parentibus interest ciuitatis, quum liberos in ciuibus nouis numeret, quorum salus ob suae ipsius salutis perpetuitatem ei grauissima est. Ciuitas igitur, quum parentes a neglectu horum iurium eorumque laetione arcet, liberis cauet de eorum in columitate. Inde officium parentum liberis seruandum primitus imperfectum (v. §. XXXI) mutatur in officium perfectum ciuitati praestandum, Fichtio hic visus est modus, quo rationes inter parentes liberosque iuridice considerari possent, ita vt officia parentum erga liberos non statim in perfectis, quae parentes liberis, sed in iis officiis, quae parentes tamquam ciues ciuitati praestare deberent, sive in perfectis erga ciuitatem officiis numeraret. Iam vero quum matrimonium a Kantio secundum humanitatis legem necessarium pactum habitum sit, officia parentum erga prolem e matrimonio natam secundum ipsam illam legem aequo necessario implenda, ideoque nullo alio intercedente coactu perfecta esse, et, quin ipsa lex de iis spondere videatur, nulla ciuitatis cautione indigere, luculenter adparet. Sed haec hactenus.

(K. 107. 4q. nec certe in effigie si) sive in mai committit ut probetur

## §. XXXIV.

Parentibus sunt erga liberos iura, quae sequuntur. (Haec iura patriae potestatis nomine comprehendendi, nec non utrumque parentem ea habere constat.)

- a) Ius liberos cogendi, ut cum iis permaneant. Nam sine hoc iure parentes nequeunt educationi satisfacere. p)
- b) Ius circumscribendi liberum corporis usum proliis iis finibus, quibus opus est ad damnum, quod ex illius abuso oriri possit, evitandum.
- c) Ius a liberis obseruantiam petendi.
- d) Ius prohibendi liberos, ne quid absque eorum consensu sufficiant. Nam parentes, num negotium a liberis suscipiendum cum eorum educatione congruat, soli diiudicabunt. q)
- e) Ius omne lucrum, quod liberi opera sua fecerint, pro fibi facto habendi. Nam labore exercentur vires et coluntur, itaque ad educationem referendus est.

Educatio quin sit fons patriae potestatis non dubitabis, si omnia illa iura ob educationem parentibus concessa esse intellexeris.

*Officia liberorum* erga parentes ex illis parentum iuribus proficiuntur haec:

- a) Officium cum parentibus permanendi, usque tum hi eos non amplius educatione indigere censuerint.
- b) Officium obseruantiae.
- c) Officium parentes in negotiis suscipiendis consulendi et nullam rem magni momenti sine eorum consensu adgrediendi.

p) Hoc ius Kantio argumento fuisse, IX.) docui.  
quo liberos a parentibus rerum instar

g) Huius parentum iuris fines rege-re paullo inferius conabor. (§. XXXII.)

a) Officium, omne lucrum, quod labore fecerint, parentibus exhibendi ita, ut, quam parentes eos lucri partem capere velint, eam demum suam esse iudicent.

(Sed quanam ratio sit habenda, si quid liberi ab aliis gratis adceperint, hereditatem etc. apte hic quaeritur. Nulla est liberorum cum aliis, nisi cum parentibus, coniunctio continua. Parentes vero in omnibus liberorum cum tertio caussis, illorum vices subeunt, vel, quem iis inuitis liberi nihil peragere possint, negotia liberorum cum aliis gesta non ignorasse et in ea consensisse conjectura creduntur. His quidem, quatenus dona acceptari debent, quum non liberi sed parentes eorum loco dona adcipiant liberis data, probari videtur, parentes in possessione rei donatae esse: sed dominium liberis integrum manet, licet, donec e patria potestate exeat quiescat. Nam dominium rei donatae liberis denegari vix putarem, quin alias voluntati donatoris, qui rem non parentibus sed eorum liberis dono dare voluerat, negotium repugnaret. Res liberis legatae aut hereditates iis relictae eadem ratione videntur considerari posse. Heres enim institutus aut repudiare potest hereditatem aut adire. Neutrū vero a liberis fieri potest, nisi parentum interuentu. Inde eadem, quae de donis hanc in rem dixi, locum habere possunt in hereditibus liberis relictis. Ceterum parentes, vtrum rebus liberis suis ab alio datis legatisue vtantur solum fruanturque, an eas in pleno dominio habeant et eiusmodi alia legibus scriptis definienda esse facile intelligitur, nam ciuitatis tutela et auctoritas in vtroque necessaria est. Ut vero parentes ab omni iure in re liberis donata prohibeantur, nemini ali⁹ licet iubere, nisi cum illis, vt se iure suo abdicarent, conuerit: alias enim iura parentum laedi videntur.

Illa iura, ut iam dixi, parentibus competit ob educationem, et quum sine illis huic operam nauare nequeant, velut praesidia educationis.

nis iis collocanda sunt. Ius vero lucrum a liberis labore factum pro  
sibi facto habendi propterea parentibus esse videtur, quod, quum onera  
educationis ferre debeant, eiusdem et utilitatem, si qua forte sit, iuste  
percipiant.

Nunc ad iura, quae parentes liberorum respectu in alios habeant,  
et horum ex eadem causa officia erga parentes seruanda, accedo, ita  
tamen ut, quum locus de rationibus inter parentes et liberos principialis  
sit, hunc et cetera hoc genus loca interserta haberi velim, quamvis non  
infisier me sperare, eorum disquisitionem nonnihil ad rem principem  
illustrandam facturam esse.

Huc pertinet *ius liberorum suorum educandi*. Parentes igitur quemcunque  
ne se educationi (de qua parentes solum civitati rationem reddere debent,)  
intermisceat, iure prohibent, unde eodem iure liberos, qui forte ad  
eum transfugerint, ut reduci patiatur iuste postulant. Eo enim ius vin-  
dicandi liberos parentibus concessum constare videtur.

Supra iam (ad §. 34) Kantium in hoc iure vindicandi liberos parenti-  
bus dato rationem juris realiter personalis reperiisse monui: sed hic  
nonnulla, si licet, addam. Ius illud in liberos [nam in eos esse necesse  
est, quum alia non videatur esse ratio, ob quam liberi instar rerum  
possideri queant] facile ex officio liberos alendi et educandi parentibus  
vel a ciuitate vel humanitatis lege imposito deriuatur, quum nisi illud  
ius habeant, neutquam huius officii partes implere possint; atque ne  
ius in liberos quidem, imo ius contra tertium, quo eum parentes ab  
omni educationis turbatione prohibeant, eumque liberos transfugas exhibe-  
re iubent et cogant, esse videtur. Quid vero in causa fuerit, cur  
ius parentum liberos ad commorationem cum iis adigendi in iuribus  
patriae potestatis numerarem iam ex superioribus adpareat. (v. §. XXXIV.)

Hūic iuri parentum liberos suos educandi obiecta est. *et iudicari*  
*Obligatio alterius, sibi ab educatione liberorum alterius temperandi,*  
 nisi vel alter vel ciuitas ei educationem ita mandauerit, vt vtraque ra-  
 tione ex pacto se ei inmisceat. Ceterum, quin ius illud et haec obli-  
 gatio perfecta sint, nemo dubitat.

*Officia parentum erga liberos duplicitis generis esse opinor, iis vel*  
*tamquam liberis, vel tamquam personis a parentibus praestanda.*

I. Supra, quum parentes liberosque natura coniunctos esse pro-  
 bare conabar, officia imperfecta ex illa coniunctione nasci docui (§§.  
 XXIX. XXX. XXXI.) Iam vero ea etiam perfecta esse conabor confir-  
 mare. Kantius illa officia ex iure, quod natura liberis ingenuerit, quo  
 ab illis, quibus auctoribus inuiti in lucem editi sint, vt se nouo statu  
 suo contentos redderent, postulare possent, deduxit. (v. §. VII.) At quis  
 liberis, qui ipsi hoc ius tueri negeunt, de eo caueat? Natura, an  
 illis coniunctionis scientia? Si illam dicas, parentes necessitate naturali  
 seu instinctu compulsi bestiarum more prolem suam curant; si hanc:  
 cura liberorum soli parentum arbitrio credita esse videtur, vt nemo  
 sit, qui parentes ad hoc officium exsequendum cogat: nam liberis nulla  
 est cogendi facultas, quum imbecillitas aetatis iis grauissimo sit  
 impedimento. Quaerenda igitur est causa his officiorum, ob quam huic  
 officio a natura commendato, morum praeceptis confirmato parentes  
 satisfacere cogantur. Est ea pactum societatis ciuilis. Nam ciuitatis  
 interest prolem ciuium ali et educari, et naturam imitata ciuitas curam  
 liberorum iis imperat, quibus natura imperasse eam videtur. Itaque  
 ciuis ex pacto ciuili prolem suam iussus est curare. Rudis homo, dum  
 prolem curat, naturam sequitur; is, qui suae cum prole coniunctionis  
 naturalis conscientis est, curam prolis officiis morum doctrina sibi

iniunctis adcenset; cuius autem illam curam in officiis ciuitati praestans numerat, atque eam perfectum officium esse sibi persuadet.

§. XXXVII.

Officia parentum erga liberos, ut tales, haec sunt:

a. *Vt eos alant.*

Natura principio matri nutritum prolis per organicam illam adhuc post editionem partus continuam coniunctionem, iniungit (§. XXVIII.), sed mater, quum tamquam homo huius vinculi conscia id ipsum rumpere possit (§. XXXI.), nutrit partum se officio fungi arbitrata. A patre vero non aequae ac a matre natura curam prolis flagitat, sed ille prolem a se genitam esse non ignorans (§§. XXX. XXXII.) curam prolis gerit, quum officii esse credit. Illi scientiae cupiditas inopes adiuandi, et coniugis amor adcedunt, quapropter hoc officium grauissimum esse sibi magis magisque persuadet.

Nutritus est suppeditatio alimentorum ad vitam sustentandam necessariorum. Mater proli mammam praebere debet, nisi morbo aut quodam defectu, quo minus hoc faciat, impediatur. Ex eo tempore, quo non amplius lactantur, liberi a parentibus alendi sunt usque dum sibi ipsi victum comparare possint, vel ita se, consentientibus parentibus, cum aliis coniungant, ut hi eorum victui prospiciant. Sed, quum inopia prolis humanae longius duret quam reliquorum animantium, necesse est alimenta etiam per longius tempus eidem praeberi. Parentes quidem alimentis vires corporis in prole augeri sciunt, sed iidem tutelam corporis aequa necessariam esse non ignorant. Inde alterum oritur parentum officium erga liberos:

b. *Vt eos edificant.*

Educatio alia est *pragmatica* alia *moralis*. (§. VIII.) Felicitas liborum, corporis utilitas in consequendis finibus rationi consentaneis, ut

aliquando se ipsi sustentare possint, pragmaticam constituant educationem. Ea igitur non solum sustentationem liberorum, indolis eorum naturalis culturam, et quamcumque rationem, qua corpus proutum ad illos fines obtinendos redditur, sed etiam institutionem in artibus et scientiis complectitur: quae vero omnia in eum finem adhibenda sunt, ut liberi sibi ipsi olim prospicere possint.

Proles humana pro sua libertate rationali moribus imbui potest. Itaque parentes officii sui esse putabant, vt eos moraliter edificant, siue vt insita iis germina virtutis excolant et maturent. Hanc educationem, quam sublimem recte adpelles (§. XIII.), a pragmatica facile discernes, si in morali liberorum nullis finibus circumscribendam libertatem, in hac vero usum corporis, ne abusu damnum fiat, finibus continentum esse bene intellexeris. Sed de educatione optime administranda nihil praecipio, inde plura de ea addere non adtinet.

### §. XXXVIII.

II. Officia parentum erga liberos tamquam personas omnia prohibitionem continent et, vt uno verbo dicam, id spectant, *vt ne parentes liberis tamquam rebus utantur*. Huc referenda sunt cumprimis haec:

#### a. *ne vitae liberorum officiant.*

Parentes non solum ab insidiis vitae liberorum struendis se ipsi abstinere sed etiam omnia auertere debent, quae vt liberi in vitae periculum incident ansam dare possint. Alias enim vel dolo vel culpa infanticidium committunt. Supra (§. XXXI.) incolumitatem foetus cum matris incolumitate arctissime coniunctam, sed vtrum hanc coniunctionem tueri, an cum suo ipsis periculo soluere velit in matris arbitrio positum esse vidimus. Mater, quae hanc coniunctionem disrupt, abortus voluntarii adducatur, ea vero, quae infantem a partu recentem intere-

mit, infanticidii (presso nominis significatione) rea est. Infanticidium (laxiore significatu) a patre et quocumque alio committi posse res ipsa loquitur. Sed, utrum infanticidio infans an ciuitas laedatur, paulo inferius perscrutabor.

*b. ne libertati liberorum personali officiant.* Itaque nec exponere, nec vendere, nec pignori dare nec alio quocunque modo liberos alienare parentibus licet. (Errant, qui alienationem liberorum iure naturali parentibus permitti statuunt. Ut alios taceam, Grotium<sup>r</sup> et Pufendorfus<sup>s</sup>) laudabo. Horum uesterque versatus est in ea opinione, vt, si nulla alia ratio prolem aleendi suppeteret, parentes eam vendere aut oppignorare posse arbitraretur. Cuius quidem opinionis veritatem alter exemplis Hebraeorum aliorumque popolorum, a quibus factum esse liberorum alienationem historia testis est *t*), probatum iuit, alter vero venditionem liberorum eam licitam esse statuit, quae sub lege retractus fieret.)

Num adoptio licita sit, quaeritur. Quamuis verear, vt huic quaestioni satissimam: attamen ad eam respondendi periculum faciam. Adoptio quidem originem positivam ducere videtur, sed quum neque lege scripta, neque consuetudine aliqua res constitui debeat, quae summis iuris praeceptis contraria esse possit, anquirendum esse videtur, an iis repugnet adoptio, nec ne. Supra (§. XXXV.) omnes alterius liberorum educatione, nisi vel alter vel ciuitas eam iis mandauerit, abstinere debere monui. De mandato ciuitatis adhuc nihil addam. Parentes optimas quasque educationis rationes eligere debent. Si igitur vel negotiorum ciuilium frequentia, vel peritiae defectus eos impedit, quo

*r*) De I. B. et P. Lib. II. cap. 5.

§. 5.

*s*) De Off. H. et C. Lib. II. cap. 3.

§. 9.

*t*) v. Grotius I. 1.

minus ipsi liberorum educationem obeant, necesse est, ut educationem iis, quibus educandorum liberorum peritiam tribuunt, credant. Iam vero in educationem liberorum et nutritum sumtus fieri debere constat, a quibus faciendis, nonnulli parentes, inopia et paupertate ita removentur, vt, licet iis officium liberos alendi et educandi iniunctum sit, tamen hoc officium ab iis peragi nequeat. Num igitur parentibus universam illius officii functionem alteri licet mandare? Licebit dummodo alter se omnes officii partes impleturum esse politus fuerit. Quo facto parentes omnia sua in liberos iura ipsi cedent. Attamen ciuitas de hac conuentione certior facienda est, quum illius auctoritate haec confirmari debeat.

§. XXXIX.

Si certo iura liberis erga parentes esse probaueris, facile ex iis, quae supra dixi, conieceris illa esse:

a. *Iura liberorum, ut talium, erga parentes; nimirum ut ab iis alantur et educentur.*

b. *Iura liberorum, ut personarum erga parentes, ut scilicet incolimus eorum vita et libertas personalis a parentibus praestetur: sed hic, utrum liberi contra parentes iura habeant nec ne, in quaestione est. In cognoscendo hoc loco priorem seruabo ordinem, et primum iura liberorum, ut talium, perscrutabor. Liberi nullo modo iura sua tueri et defendere possunt, quum educatione demum eorum facultas iura et officia exsequendi maturetur. Omnia igitur voluntas pacto ciuitatis coniuncta, quum parentibus educationem v) et nutritum liberorum*

v) Pragmaticam scilicet. Nam moralis seu sublimis educationem parentibus nemo iniungere potest, praeter legem moralem ipsam, quae sola illam fieri iubet. Itaque mali liberorum mores parentibus a ciuitate criminis dari

imperat, liberis de educatione et nutritu ab eorum parentibus praestans  
dis cauet. *Ius* igitur liberorum a parentibus educationem postulandi in  
ciuitate tantummodo adest.

Sed iura liberorum tamquam personarum erga parentes illis a nativitate competunt, siue, vt paulo vberius dicam, liberis tamquam hominibus ingenitum ius est, vt tamquam personae i. e. animantia libertate personali praedita a parentibus tractentur. Nullo iis praesidio, quo huic iuri vis addatur, opus est, sed illa eorum proprietas, quæ species generis humani sunt, vsque a primo vitae halitu eos ab omni vi eorum vitae aut libertati personali inferenda tuetur, aliisque omnibus violatione illius iuris interdicit x). Itaque liberis tamquam singulis (*individuis*) plane nulla. sed tamquam ciuibus recentibus et generis humani speciebus ea, quas dixi, iura esse adparet. Quae quum ita sint, educationi liberorum ciuitas, incolumenti eorum genus humanum prospiciunt: quam ob rem

nequeunt, ita, vt illi tantum ob neglectam educationem pragmaticam poemam iuant, quam eam ab se factum iri pactione ciuili promiserint. Sed quae ad morum directionem spectant, omnia, vt neminem fugit, de ciuitatis imperio exenta sunt. Scilicet parentum, vt cuiusvis hominis est, quantum possit virtutis amorem excitare in aliis: at quis cogere iure potest alterum, vt virtutem amet, et virtutis amor in aliis promovendae studeat, praeter legem moralem, quae sola illud fieri imperat?

x) Huic opinioni adnuere videntur

verba KANTII p. 113. „Sie (die Aeltern) können ihr Kind nicht gleichsam als ihr Gemächsel (denn ein solches kann kein mit Freyheit begabtes Wesen seyn) und als ihr Eigenthum zerstören, oder es auch nur dem Zufalle überlassen, weil an ihm nicht blos ein WeltWesen sondern auch ein WeltBürger in einen Zustand herüber gezogen, der ihnen nun auch nach RechtsBegriffen nicht gleichgültig seyn kann.“ Ceterum in eadem sententia fuisse memini REINHARDVM, in libro: *Versuch einer Theorie des gesellschaftlichen Menschen*. Leipzig und Gera 1797. 8.

infanticidium non est crimen contra infantem tamquam individuum, sed tamquam generis humani speciem (*GattungsWesen*), seu potius contra genus humanum ipsum.

## §. L.

*Officium parentum erga alios liberorum respectu vnum est, damnum scilicet a liberis suis aliis factum resarcendi, et, vt de re vniuersa dicam, de omnibus liberorum suorum factis, quatenus alios adtingunt, iisdem spondendi.* Supra (§. XXXV.) alios sibi ab educatione liberorum alterius temperare debere vidimus. Quando igitur alius ab iis laesus est, neque eos castigare, neque vt ipsis damnum factum sarciant postulare potest, sed hoc a parentibus petit; nam nulla est inter eum et alterius liberos coniunctio, nisi quae intercessione parentum constituitur. Attamen an laesus a parentibus liberorum, qui ei damnum dederint, vt hos castigent, flagitare debeat, non sine causa mihi videor dubitare. Nam castigatio ad educationem pertinet, cui se alii sine iure immiscent. Damnum autem a liberis datum, ab eorum parentibus sarciri laesus optimo iure postulat, quoniam parentes in omni cum aliis liberorum causa horum vices obeunt. Aliis igitur respectu liberorum alterius sponte nascitur ius flagitandi a parentibus, vt damnum a liberis suis datum resarciant.

## §. LI.

Iam ea potestas, quam in rationibus, quae parentes inter et liberos intercedunt, ciuitas sibi vindicare possit, definienda est. Ea duplex hic esse videtur, nempe quae imperat, et quae prohibet.

a) *Imperat ciuitas parentibus alere et educare prolem.* (§. XXXIX.) Nam ciuitatem, quae liberos pro ciuibus recentibus, quorum incolitate sua ipsius incolumitas confirmetur, habet, educationi et nutritui

E

liberorum oportet inuigilare. At vero ciuitas de educatione laborat, non autem se ipsa ei immiscet: nam normae, quas in educatione parentes sibi proponunt, de ciuitatis cognitione exemptae, et soli parentum, qui de iis nemini rationem reddunt, arbitrio relictæ sunt. Auxilia quidem, quibus officio educationis facilius satissificant, ciuitas parentibus suppeditabit, tum illa iis iura, quae parentibus in liberos et alios esse suqua vidimus (§. XXXIII. XXXV.), concedendo, tum scholas publicas constituendo (§. XIX.), sed ut liberos in scholis publicis institui current, parentes neutiquam coget, nisi vel

a) parentes turpiter factis ciuitati caussam adulterint, cur eos virtutem contemnere ideoque eorum liberos male ab iis educatum iri vereatur,

b) vel loci, quo parentes degunt, conditio vel parentum inopia impedimentis sint, quo minus liberi priuatim institui queant. y)

b) Ciuitas prohibet parentes liberos tamquam res tractare, et sic ad genus humanum se adiungit, eiusque iuribus auctoritatem adiicit suam, atque liberorum iura, quamvis iam propterea, quod illi generis humani species sint (§. XXXIX.), tuta, confirmat, quum parentes etiam tamquam ciues ab omni libertatis liberorum personalis laesione, poena proposita, arcet. Infanticidium igitur, quocumque modo et a quo quis commissum sit: delictum contra ciuitatem est. z) De vitae incolumitate

y) Institutionem priuatam seu domesticam ciuitas neque curat, neque curare debet. Attamen a ciuitate bene factum iri opinor, quum eorum, qui in priuatam puerorum institutionem incumbere conantur, in literis et educationis prudenter administranda notitia

prospectus examinet et cognoscat publice, ita, ut certe parentibus de peritia eorum, a quibus liberos suos institui et doceri velint, caueat.

z) Qualis poena infanticidio propoenenda sit, hic non est locus anquirendi.

non solum liberis cauet ciuitas, sed etiam de eorum libertate personali: nam interdicit parentibus quocumque facto, quo illa laedi possit, v. g. alienatione.

At licita est adoptio, eamque ciuitas dummodo sua auctoritate fiat, permittit? Recte quidem. Sed verendum est, ne, quum supra (§. XXXVIII.) quamcumque alienationem liberorum prohibitam esse dixerim, nunc vero, vt antea (§. XXXVIII.), adoptionem licitam adfirmem, mihi ipse contradicere videar. Itaque paullo amplius opinionem meam explicabo. Ciuitas naturae obsequitur, officiumque educationis parentibus iniungit. Fac autem hos facultatibus, quibus ad educationem et nutrimentorum procurationem opus est, carere: quis tunc educationi liberorum eorumque nutritui prospiciet? Ciuitas: nam ei conseruatio liberorum perinde ac parentibus est grauissima. Si vero erit, qui liberos curare velit, et parentibus pollicetur, sola ciuitas illi curam liberorum alterius permittet: nam parentes, qui sua sponte liberorum curam aliis committant, quum lucri et quidem negatiui (se enim educationis liberant) causa liberos alienent, iis ut rebus vti videntur. Is vero, qui liberorum alterius curam suscipit, de sua voluntate non modo, sed etiam de sua curam illam gerendi facultate ciuitatem certiorem reddere, eique fidem facere debet; quapropter ciuitas, prius quam ei curam permittat, num aliis iam eiusmodi officiis adstringatur, e. g. ipse liberos habeat, ne officia colliduntur, et num eadem fide et diligentia, quas parentes adhibituri videantur, liberos curare possit, videbit et iudicabit. Caeterum haec omnia parentibus consentientibus fieri debere haud necesse est adiici. Itaque hic visus est mihi modus, quo adoptio ad iura humanitatis applicata considerari debeat.

(Itane vero ciuitas, quum curam liberorum, cui velit, credat, liberis ut rebus usura est. Neutquam. Liberi enim ex una omnium

voluntate eius inspectioni et tutelae commendati sunt, ob quam commendationem liberis, quorum iura, de quibus iis cauerat ciuitas, laesa sunt, iustus est ad eam regressus. Ciuitas igitur liberos pro ciuibus recentibus, quorum educatio et nutritus suae fidei commissa sint, habet, et haec negotia iis, qui eo dignissimi videntur, gerenda credit. Naturā vero parentes dignissimos esse, quibus educatio committatur, ciuitatem docet, simulque iis prolem alendi iūs dedisse videtur; ciuitas igitur parentes nullo modo praeterire, et tunc demum, si hi officio educationis et nutritus satissimacere non potuerint, aliis educationem et sustentationem liberorum committere debet.

## §. LII.

Causae, ob quas patria potestas tollatur, duae esse videntur, altera, quum educationi nullus amplius locus esse possit (viviis parentibus,) altera mors parentum.

*Educatio exsulat,* p. 10. *Parentes priora suffragia ferunt,* si quaestio est, an liberi sui

adhuc educari debeant, nec ne. Si igitur educationem non amplius necessariam ducunt, emancipant liberos.

*b.* Ciuitas, quum munus publicum in liberos adhuc patriae potestati subiectos contulit, eos ad fines rationi consentaneos utiles, ideoque finem educationis obtentum esse iudicasse recte censetur. Ut in ciuitatis sententiam parentes eant necesse est, nam ipsi liberos ad eum finem educauerant, vt aliquando ciues utiles fierent, quos esse illos ciuitas iure decernit, quippe quae parentibus officium illud iniunxit, nunc vero ei satissimum esse iudicare videtur.

a. Si liberi societatem ineant eam, in qua vel ipsi alios curare debant, vel aliis ita subiificantur (v. c. filia, quae nubit, marito) ut amplius, in patria potestate esse nequeant, educationi nullum amplius locum esse posse adparet. Ea societas est coniugium. Libera potestas eligendi, quocum matrimonium ineamus, maxime necessaria est in matrimonio contrahendo. Itaque quum quiuis coactus matrimonii naturae repugnet, parentes nullo modo liberos, ut matrimonium ineant, cogere queunt. Supra iam (§. XXXIV.) in negotia liberorum, parentibus, quia, num ea cum educatione conueniant, optime dijudicant, consentiendi ius esse docui eoque magis ab liberis in negotio, quo educatio plane tollitur, consu-lendi sunt. Parentes igitur liberos, quo minus matrimonium contra-hant, in aliquod tempus iuste prohibent, sed plane ab eo liberos arcere iuste vetantur. Itaque ius illud parentum de matrimonio ab liberis in-eundo, neque umquam imperans, neque vniuerse, sed tantum certo respectu prohibens esse videtur.

Parentibus igitur

- α. neque liberos, ut matrimonium ineant, iubere,
- β. neque ab ineundo matrimonio liberos in omne tempus prohibere licet, dummodo ii non solum per aetatis maturitatem, sed etiam rei do-mesticae prospiciendi, eaque, quae inde oriantur, officia praestandi, facul-tatem matrimonium inire queant.

Sed adprobacionem suam, qua liberis ob illud officium (§ XXXIV.) opus est, parentes iis vel vniuerse, si educationem adhuc imperfectam esse arbitrentur, vel matrimonii cum certa persona contrahendi denegare possunt. Caussas vero, ob quas liberis parentes matrimonio cum certa persona contrahendo interdicant, graues et a ciuitate in iustas receptas esse oportet. Si enim sola morositate aut lucri cupidine ducti adproba-tionem denegauerint suam, ciuitas libertatem liberorum iuste tuebitur

ita, vt rationes parentum ineptas esse iudicet atque liberos inuitis ipsis parentibus matrimonium inire permittat. Parentes coniugibus recentibus dotem facere iubentur a ciuitate, quum huius multum interstet cognoscere, vnde recens familia viuat, licet conuentiones parentum inter se de dote constituenda non curet. (§. XXIV.)

## II. *Mors parentum.*

Altero coniuge mortuo apud superstitem patria potestas remanet. Matre mortua haud difficile est iudicatu, cui patria potestas tribuenda sit: nimirum patri. Sed patre mortuo matris quidem est educare et alere liberos, sed quum inter matrem, tamquam feminam, et ciuitatem nulla sit coniunctio continua et vicarius illius obierit, ciuitas alium iubet vices mariti defuncti eas subire, vt matri qua cui praesit, consulat, eiusque negotia administret, quem curatorem adpellamus. Curator igitur officia mariti qua talis ciuilia obit, et quamvis patriae potestatis partem nullam capiat, attamen matris in liberos et eorum respectu in alios iura, velut maritus, ab aliorum iniuriis tuctur. A parentibus dotem liberis fieri debere supra vidimus, sed quanam ratione liberi facultates a parentibus adipiant, si hi matura morte aut breui post nativitatem liborum tempore obierint, quaeritur. Ciuitatis auctoritate: nam illa iis de capienda parentum hereditate cauet, quam ob rem omnia illa, quae supra (§. XXV.) retuli, legibus scriptis definienda sunt.

## §. XXXXIII.

At vero iis, quae hactenus docui, facile est locum dare, dum parentes coniugii consuetudine inter se coniuncti sunt. Nunc restat, vt breuiter id addam, ad quod si de liberis extra matrimonium natis agatur, et si de eorum educatione quaeratur, quorum parentes diuortium fecerint, adtendendum esse mihi videatur.

a. Liberos vulgo quaeſitos ſola mater curat. Nam iſ, qui rem cum ea habuerat, iuste dubitabit, an prolem alendam ipſe genuerit, quum matrem proſtitiffe non ignoret. Amor vero erga matrem, ſi quis fuerit, atque misericordia, erga prolem tamquam inopem, leuiora argumenta eſſe videntur, quibus, vt prolem alat, iure cogi poſſit. Liberi extra matrimonium nati reliqui cum matre viuunt, ſed pater partem ſumtuum in educationem eorum et nutritum conſerre debet. Ex adulterio aut incestu procreati a parentibus ali et educari debent, nam poenis inceſtui et adulterio propositis officium alendi et educandi prolem non tollitur.

a. Si diuortio facto parentes non conuenerint inter ſe de curandis liberis, ad haec, quae ſequuntur animaduertendum eſſe opinor.

a. Si neuter parentum liberos educare voluerit, dubito, an ciuitas atterutri educationem commode mandare poſſit, et ne matri quidem mandandam eſſe puto. (§. XXVI.) Nam ea ipſa, dum educationem fuſcipere recuſauit, professa eſt ſe indignam eſſe, cui educatio crederetur. Pater vero in eodem loco verſabitur, ſi liberos ſecum habere noluerit. Itaque ciuitatem ipsam educationem ita ſubire, vt eam iis mandet, quibus fidem haberi credat, ſatiuſ eſſe arbitror. Quum vero liberos a cognatis caros haberi recte iudicauerit, illos his, ſi velint, curandos tra- det, ſimulque de parentum facultatibus certam partem ad ſuſtinendos educationis ſumtuſ detrahet.

b. Si vero parentum vterque liberos ſecum habere, et neuter alteri eos relinquere voluerit, videndum eſſe opinor, vtrum diuortium ob crimen, (e. g. adulterium) an ob alias cauſas (e. g. inceſtum poſtea perſpectum) factum ſit.

a. Diuortio ob crimen decreto ad ſexus diſcrimen non adtenden- dum, ſed coniugi innocentii liberorum curam credi debere puto.

b. Diuortio ob alias caussas decreto sexus ratio habenda, et filii a patre, filiae vero a matre, curandi esse videntur.

c. Si neuter coniugum culpa vacauerit, ea videntur obseruanda esse, quae supra (sub a) monui: nam tum uterque parentum indignus est, cui de liberis curandis fidem ciuitas habeat.

*autem illa sententia quae in libro de iure matris et filii dicitur, quod si pater et filius non possint concordare, uterque pater et filius debet servari, ut non possint in secessu a patre et a filio separari. Nam illa sententia non potest esse nisi in libro de iure matris et filii.*


*Quis ne libidinibus vicius non potest resistere? Non enim libidinis sunt, sed utrumque libidinis et concubitorum et concubinorum iuris statim et iuris contractus et iuris matrimonii (Ibid. 12) sicut etiam et frumentorum et animalium et velut invenientur in aliis locis. Contra vero libidinem et concubitorum et concubinorum iuris et iuris contractus et iuris matrimonii, videlicet uti manutinatur in aliquo modo, non est invenire libidini gratia domino. In iuris libidinis et concubitorum et concubinorum iuris et iuris contractus et iuris matrimonii operis iuris et concubitorum et concubinorum iuris et iuris contractus et iuris matrimonii, non est invenire libidini gratia domino.*

*Ita etiam iuris contractus et iuris matrimonii operis iuris et concubitorum et concubinorum iuris et iuris contractus et iuris matrimonii, non est invenire libidini gratia domino. In iuris libidinis et concubitorum et concubinorum iuris et iuris contractus et iuris matrimonii, non est invenire libidini gratia domino. In iuris libidinis et concubitorum et concubinorum iuris et iuris contractus et iuris matrimonii, non est invenire libidini gratia domino.*

VD18

56.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-132105632-14

DFG

12241.

Pa.

N<sup>o</sup> 27

1798,7

Q V A E D A M  
DE  
C O N I V N C T I O N E  
I N T E R P A R E N T E S E T L I B E R O S

A D  
N O R M A M P R A E C E P T O R V M I V R I S N A T V R A L I S  
D E F I N I E N D A

S C R I P S I T

E T

R V M O R D I N I S

E

C L X X X X V I I I

Heb<sup>7</sup>  
HEVS ANDREAE

VTR. BACC.

O G A R B E

V C H N I T Z.

